

mare proficit, aliàs si absque iis circumstantiis esset non pro-
jecturus; omnino consideratis circumstantiis & mortis præ-
sentissimò periculò mavult mercium jacturam eamque deli-
beratò consiliò eligit, quàm unà cum iis perire.

§. XIX,

Denique: (4.) Quæcunque actiones laudem & vituperium
merentur, illæ sunt spontaneæ: Atqui actiones mixtæ sunt ta-
les, ut earum causâ laudemur & vituperemur, ergo sunt spon-
tanæ. Quod pulchrè expressit Terentius in *Andria act. 4 sc. 1.*
quando inquit: *Tua voluntate coactus es.* Major probatur, quia
laudem & reprehensionem mereri sunt præsentissima indicia
spontè-factorum. Minor ex Aristotele probatur, dum aliquot
genera actionum mixtarum constituit: *Primum est*, cum ho-
mines propter magnum aliquod bonum consequendum, inde-
corum aliquod & molestum, *αἰσχροῦ ἢ λυπνοῦ* sustinent. Sic
Regulus commendatur à *Cic. 3. offic.* quod maluerit præsentis-
simum mortis periculum apud *Carthaginenses* subire, quàm
iurjurandum datum violare. Et tales actiones laudem me-
rentur. *Alterum Genus est*, quando propter exiguum aliquod
bonum aliquid admittimus, quod minus nos decet. Ut avara-
torum & levium hominum est. propter pinguem offam quævis
pati opprobria, & quasvis tolerare vexationes atque contume-
lias. Et tales actiones non sunt laudabiles. Sic *Esau* reprehен-
ditur, quod propter pulmentum vendidit fratri suo *Jacobo*
primogenituram. *Tertium Genus est*, quando propter maxi-
mos cruciatus & dolores aliquid admittitur, quod est præter
officium viri boni, ut si quis in gravi torturâ prodit suum amicum vel
socium: aut si quis propter aliam aliquam necessitatem, quam nullò
modò potuit evitare, aliquid facit, quod minus ejus personam decet.
Quartum Genus est, quando coacti aliquid facimus admittimusq; quod
nullâ ratione potest excusari, sed potius perferenda mors fuisset, quam
tale aliquid committere. Ut si quis dicat se coactum fuisse Religio-
nem abnegare, patriam prodere, adulterium committere; nam ad talia
committenda nullâ ratione debet quispiam adduci. Angustia chartæ
sufflaminat calamum scripturientem. Et hæc de utilissima hæc mate-
riâ, non pro ejus dignitate, sed pro ingenii imbecillitate, institutique
ratione dicta sufficiant, quod si alicubi cespitaverimus, erratis veniam,
ut des L. B. submissè rogamus, non enim nos pigebit, neque pudebit, si
eubi erravimus discere.

FINIS.